KNY-18-00725

FACVLTATIS JVRIDICÆ,

DECANVS,

CONR. WILHELMVS STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, PRÆFATÆ FACVLTATIS ASSESSOR SENIOR, CODICIS PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, CIVITATIS ERFORDIENSIS SYNDICVS ET CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

KNY-18-00725

BIBL. UNIVERSITATIS BUDAPEST EGYETEMI KÖNYVTÁR

Constat ex historia antiquorum temporum, quod ante Primum Christianum Imperatorem Constantinum, nemini licuerit, aut saltem usitatum fuerit, bona immobilia Ecclesiis, Collegiis, cæterisque corporibus piis, quæ manus mortuæ appellantur, relinquere, aut ullo alio modo in illa transferre; Romani enim Imperatores anteriores gentilismo adhuc & ethnicismo infecti Christianos detestabantur, fidemque christianam, in quantum poterant, extirpare allaborabant, imò etiam subsequentibus temporibus quidam ex Christianis in primitiva Ecclesia illius erant opinionis, nihil pecuniæ servandum esse, eo quod Dominus *Matth. 6. vers. 34.* præceperit, non cogitandum esse de crastino, sed quia ipse Dominus loculos habebat & à fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat, intellexerunt præceptum illud non ad hoc fuisse datum, ut nullam Christiani servarent pecuniam, sed ne Deo pro ista serviatur & ob inopiæ timorem fides & justitia deseratur. *Can. 17. C. 12. q. 1.* Hinc à Principio eò devenit, ut Christiani bona quidem acquirerent, non tamen immobilia & prædia, sed eorum pretia & pecunias solummodo ad fovendos egentes *Can. 15. C. 12. q. 1.* Postmodum verò, cum inter turbines & adversa mundi succresceret Ecclesia, eo usque pervenit, ut

BIBLIOTH. REG. SCIENT. UNIVERSIT. HUNGARIAE

non tantum gentes, ſed etiam Romani Principes ad fidem Chriſti & baptiſmi Sacramenta concurrerent, illi cum Epiſcopis & fidelibus æquius, conſultius, & utilius judicabant, ſi hæreditates & prædia, quæ antea vendebantur, Eccleſiis & collegiis piis incorporarentur, ut ex eorum reditibus tàm præſentibus, quàm futuris temporibus & magis quietè vivere, & indigentibus fidelibus eo promptius ſuccurrere poſſent. Qua de cauſa Magnus ille Conſtantinus, qui tot opibus Eccleſiam amplificavit, tot egregiis muneribus & tropæis auxit, tot honoribus & cæremoniis ornavit, omnibus ac ſingulis per univerſum orbem, ſub ſuo degentibus Imperio licentiam dedit, ſanctiſſimo Catholico, venerabilique Concilio, i. e. Collegio Eccleſiaſtico bonorum, quod optaret, relinquere *L. 1. C. de SS. Eccleſ.* cui Conſtitutioni ſe conformavit Juſtinianus Imperator in *Nov. 131. C. 9.* inquiens: Si quis in nomine magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti hæreditatem aut legatum reliquerit, jubemus Eccleſiam illius loci, in quo teſtator domicilium habuerit, accipere, ſiquidem juxta dictam Legem Conſtantineam nihil eſt, quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium. Inferunt quidam ex hac ratione, quod etiam de jure civili ſine ſolennitatibus ad cauſas pias teſtari liceat, ſed huic opinioni repugnat *L. 13. C. de SS. Eccleſ.* de jure Canonico autem, quod & in foro ſæculari hoc in caſu obtinere communiter placuit, in relictis ad pia loca ſola ſolennitas juris gentium ſufficit. *Cap. 11. X. de teſtament.* Poſt tempora Conſtantini M. etiam Chriſtiani Imperatores in ſpecie

Va-

Valentinianus, Valens, Gratianus & Arcadius donationes maximè bonorum immobilium in pia corpora inhibuerunt *L. 20. & 27. C. Theodoſ. de Epiſcop.* his potiſſimum ex rationibus moti, ut donantium & decedentium maxime mulierum, ſpe ſuccedendi egenæ familiæ relictâ inani, captatoriis ſuggeſtionibus ſub pallio pietatis inductarum liberalitas, vel monaſteriorum nimia parſimonia & bonorum temporalium cupiditas refrænaretur, & ne paulatim nervi Reipublicæ per immunitatem Eccleſiaſticam conciderent, viribusque, ſi ſoli laici onera publica ſupportare cogerentur, Respublica deſtitueretur *L. 3. ff. de muner.* Ob hanc ſanè cauſam à lege Conſtantiniana receſſum eſt in Gallia, quondam Anglia, Bavaria, Comitatu Tyrolenſi, Geldria, aliisque Germaniæ, exterisque Provinciis, in quibus immobilia ſeu ſtabilia Eccleſiis ut Collegiis & corporibus comparare vel planè prohibitum, vel non aliter recte relinquuntur aut acquiruntur, quam amortizationis vel morticinii beneficio à Principe accepto, vel indemnitate fiſco præſtita per penſionem annuam, horum ſi nihil factum fuerit, Eccleſia fundum ſibi relictum intra annum vel etiam breviorem vel longiorem terminum, prout Lex determinat, alienare cogitur. Sed quid ſi teſtator hæredem ſub ea conditione ſcripſerit ſi rem immobilem Eccleſiæ dederit? vinculatum eſſe heredem ad implementum conditionis aſſerit PECK. *tr. de amortizat. bon. C. 11.* quia de facto eundem adimplere poſſet & in ejus facti implemento nulla verſaretur turpitudo; Verùm ſi clauſula annullativa conſtitutioni vel ſtatuto ſit inſerta, talis conditio pro impoſſibili lege, adeoque pro non ſcripta habetur, nec ejus eventus, qui nihil operatur, exſpe-

ctandus eſt *L. 33. ff. de hæred. inſtit.* Multò magis conditiones turpes, quibus juxta communem DD. Scholam conditio mutandæ Religionis annumeratur, ſi hæreditati vel legatis aut fideicommiſſis piæ cauſæ vel alii cuicunque relictis adjiciatur, pro non ſcriptis judicanda, quia ejusmodi conditiones lædunt pietatem, exiſtimat onem & verecundiam noſtram adeoque pro nihilo habendæ, in ſpecie verò conditio mutandæ Religionis non ideò turpis eſt, quod una alterave Religio in Romano Imperio, dum ratio Reipublicæ aliter non ferebat, tolerata ſit heterodoxa, hæc enim ratio poſt Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ in ſenſu politico non procedit amplius, ſed quod turpe & Simoniacum ſit, lucri temporalis gratiâ, aliquem inducere ad mutandam Religionem, eandemque ære nundinari, id, quod tale negotium eſt, quod à diviniore Principio dependet, temerè autem nec ſuſcipi, nec tanquam res in commercio exiſtens haberi debet, MANZ. *tr. de teſtament. valid. vel invalid. tit. 7. q. 7. n. 39.* BÖHMER *Conſult. & deciſ. tom. 1. p. 1. Reſp. 2. n. 84.* BERGER *œconom. jur. lib. 2. tit. 4. th. 13. not. 7.* HOMBORG. *Conſ. 16. n. 1. ſeqq.* KNOPF. *de nullit. condit. de aſſumenda Religione &c.* STRYK. *diſp. de foro conſcientiæ C. 4. n. 54.* HERT. *de ſuperiorit. territ. §. 13. pag. 219.* STRUV. CARPZ. PHILIPPI, STRAVCH. BESOLD. & paſſim alii. Atque ita ab Ordine noſtro ad interrogationem alicujus Doctoris Budiſſæ, qui ſe Lucam Antonium nominavit, & Advocati Kesler Serveſtæ anno 1729. & 1733. judicatum fuiſſe memini, de quâ vel ſimili materiâ, licet contrariam opinionem defendere permiſimus, occaſione *d. L. 1. C. de SS. Eccleſ.* publicè ex cathedra fuſius diſcurret

NOBI-

NOBILIS ET CLARISSIMVS DOMINVS

IOHANNES WILHELMVS SCHELHASS

Cujus vitæ Curriculum, quatenus id ab ipso nobis communicatum, pro more recensebimus. Patrem nempe adhuc in vivis veneratur, CHRISTIANVM FRIDERICVM SCHELHASS, *Medicinæ Doctorem*, Jenæ degentem, mater fuit SALOMOEA SOPHIA, Beati ERNESTI TENTZELII ICti, *Eminentissimi Electoris Moguntini Consiliarii Regiminis, Facultatis Juridicæ & Judicii Provincialis Erfordiensis Assessoris, ac dictæ civitatis Consulis primarii* secundò genita filia: hæc, appropinquante tempore partus, prouti mos est mulierum nimium patrios lares amantium, Erfurtum petiit, eumque hic enixa est die VIIII. Octobris MDCCXIII. Avus paternus fuit D. ADOLPHVS CHRISTIANVS SCHELHASS, *Curiæ Provincialis Jenensis Advocatus, & ejusdem urbis Consul*, Avia vero paterna SOPHIA ELISABETHA, IOHANNIS ERNESTI GERHARDI, *Doctoris & Professoris Theologiæ Jenensis* filia, & illius eximii Theologi IOHANNIS GERHARDI neptis: Avia materna MARTHA adhuc superstes originem ducit a IOHANNE GOTTLIEB ADAMI, *Advocato Erfurtensi*, avumque nominat TOBIAM ADAMI, *Consiliarium Aulicum Saxo-Vinariensem*. Matre vero orbatus est tenera adhuc ætate, quæ eum vix triennem reliquit, cumque pater non videbatur commode sustinere posse munus educationis, abstinens scil. in omnem reliquam vitam a re uxoria, modo dictus avus aviaque hoc in se susceperunt onus, illudque executi sunt laudabiliter, non itaque natus solum, sed & altus educa-

tusque

tusque fuit Erfurti: privata & domeſtica primum inſtitutione uſus boni illius viri B. RENTSCHII, Pædagogii Johannei poſtea Rectoris, cujus intuitu eandem quoque ſcholam publicam eſt ſecutus, usque dum in numerum alumnorum Gymnaſii Senatorii eum recepit Director hujus Gymnaſii adhuc in vivis exiſtens omnis minervæ vir, D. HERMANNVS STIELER, cujus reliquorumque Profeſſorum ſcilicet THIMEROTHII, WEISSENBORNII, LOZZENII, HEVSERI & TENNEMANNI, quorum duo priores adhuc vivunt, reliqui vero ad plures abierunt, inſtitutione integro luſtro uſus fuit: Dimiſſus deinde ex Gymnaſio ſtatim Academiam Jenenſem petiit A. Sal. MDCCXXXI. utut jam antea numero Civium Academicorum Erfurtenſium adſcriptus fuerit a Prorectore hujus Univerſitatis B. de GVDENO. Nomina autem Doctorum Jenenſium, quibus ſtudia ſua accepta fert ſunt hæc, Philoſophiæ præceptorem habuit PETRVM REVSCHIVM, qui magnos inter noſtri temporis eminet Philoſophos, cujus prælectionibus ſyſtematicis in Logicam a ſe conſcriptam, atque Metaphyſicam interfuit: Jus Naturæ ACHATIVS BECK, ex *Pufendorffii libello de Off. H. & C.* pro conditione hujus compendii dextre ſatis ei reliquisque auditoribus explicuit. Textum *Inſtitutionum Juris* interpretantem audivit virum multis abhinc annis meritis in Academiam Jenenſem clarum DIETMARVM, cujus mira ſemper fuit dexteritas atque fides in inculcandis auditorum animis principiis Juris, itaque peculiari quoque ipſius collegio examinatorio in inſtitutiones Juris interfuit. *Struvii Jurisprudentiam* & Pandectas duce *Lauterbachio* B. BRVNNQVELL, tunc temporis magna audito-

auditorum frequentia interpretabatur ſolide admodum, præſertim cum animum intenderet, riteque præparatus ad prælectiones ſuas accederet, materias ex hiſtoria & antiquitatibus Juris deducens, non tamen nimium immorabatur hiſce deliciis, illud enim maxime addiſcendum eſſe ſæpius ajebat, cui etiam in foro atque in curia relictus ſit locus, eundem quoque ſecutus eſt: neque ita multo poſt Göttingam vocatus fuit. BRVNQVELLII in locum, nemo optatior nemo doctior ſuffici potuiſſet ſucceſſor ESTORE, viro jam tum celebratiſſimo, occaſione igitur utendum ratus ac Jus publicum, quod tunc libero ore, (quod non poteſt non auditoribus eſſe jucundiſſimum) profitebatur, reſpectus quoque, quos vocant publicos data occaſione indicantem non ſine animi voluptate & fructu audivit, jactis tamen prius fundamentis hiſtoricis, quæ debet BVDERO, viro in hoc genere eruditionis & quæ elegantibus his connectuntur, ſtudiis nulli ſecundo, non enim ſolum hiſtoriam Statuum Europæ, itemqve Germaniæ, ſed & EVERHARDI OTTONIS, *Notitiam Rerumpublicarum* explanantem, nec non *Jus Feudale* docentem frequenter adiit, & teſtis eſt, quod is miſcere utile dulci prudenter admodum ſciat. *Elementa Juris Canonici* ad ductum *Perſchii* ab ENGELVIO percepit, hic qualis vir ſit tot florentiſſimi ejusdem ingenii loquuntur monumenta. Exercitia diſputatoria ſtudioſis artium liberalium multum prodeſſe nemo ambiget, itaque Auctore & Diſceptatore D. SCHMIDIO, viro in ſcientia & prudentia Juris verſatiſſimo, ſtrenue diſputavit de quibusdam Theſibus, quas ille certis diebus diſcutiendas commilitonibus præſcripſerat.

)( )(

Sunt

Sunt adhuc quædam collegia, quæ non tam neceſſitatis, quam curioſitatis & ornamenti cauſſa frequentare e re eſſe duxit: huc refert *Phyſicam experimentalem*, quam TEICHMEYERVS, vir dum viveret per Germaniam nonſolum, ſed & extra eam celeberrimus, ac propter inuſitatas animi corporisque dotes Principibus charus, privatis, ſummis, infimis jucundus, ſecundum propria principia docuit. Praeterea attigit quoque Matheſin ne expers eſſet hujus ſtudii ſuavitatis, quam demonſtrabat SEGNERVS, qui jam tum haud dubias dabat ſignificationes qualis ex eo procedente tempore vir ſit futurus, adeoque Göttingam fuit vocatus, quam adhuc illuſtrat: Cum autem in hoc ſtudio multa axiomata nondum penitus perſpexerat, ejusdem finis obtinendi cauſſa interfuit mathematicis lectionibus HAMBERGERI, viri ſolide docti, doctoris præterea perſpicui & fidelis, quique ad Matheſin natus eſſe videtur, & quo aſtrorum aliquam notitiam caperet *Wiedeburgianas* in Aſtrognoſiam peculiariter inſtitutus prælectiones acceſſit. Tandem quoque eloquentiæ præcepta hauſit ex ore eloqventiſſimi HALLBAVERI, hunc beatæ memoriæ virum eundem ſe præſtitiſſe in eliminandis eloquentiæ purgamentis, qvalem ſe Wolffius geſſit, in Philoſophicis vere videtur poſſe contendere. Ceterum multa ſunt, quæ huic viro debet, ejus quoque auctoritate motus finitis ſtudiis Academicis oblatam tunc temporis conditionem accepit erudiendi duos ephebos in ædibus GOTTSCHALLII cujusdam Præfecti vicarii (*Obriſt-Lieutenants*) cohortis Wisnowieskianæ in Lithuania, quique Satrapiam Arthern in Mansfeldia titulo poſſidebat conductitio: Ad finem

perducto hoc munere Jenam rediit, idoneum tempus nactus ſtudiis obſequendi ſuis, & linguas maxime Gallicam & Italicam excolere, fundamenta quoque Anglicæ addiſcere anniſus eſt, adhuc de eligendo vitæ genere ambigens: Tandem vero ſtatuendum judicavit & Erfurtum petiit, utque modum procedendi in Judiciis addiſceret ſe contulit in ædes D. HOMELII, viri propter affinitatem, qua illi conjunctus vivit, quamque iſte variis amicitiæ generibus magis devinxit, ſibi æſtumatiſſimi, atque hujus nomine cauſſas ſubinde egit, & continuo in foro verſatus eſt, usque dum illuſtri gratia maxime clementis Proprincipis noſtri Lib. Bar. de WARSBERG, cujus in noſtram Rempublicam merita æternitas tueatur, eumque tanquam patrem ſubditorum & exemplum juſtitiæ Summum Numen in ſeros usque annos incolumem ſervet, in numerum Aduocatorum Regiminis reliquorumque Dicaſteriorum Electoralium Erfurtenſium receptus eſt, Anno MDCCXXXXVIII. quod officium antequam ſuſciperet, more conſueto examen ſubire neceſſe fuit, cumque animus erat procedente tempore ſupremos in utroque jure honores ambiendi, ſatius eſſe exiſtimauit ſtatim examini rigoroſo ſe ſubmittere. Propterea Ordini noſtro ſuum laudabile deſiderium expoſuit, annuit honeſtæ ejus petitioni, textus ex utroque jure elaborandos communicavit, in quorum dextera reſolutione nonſolum, ſed etiam in apta reſponſione ad propoſitas ex omni jure quæſtiones talem ſe præſtitit, ut facultas noſtra haud dubitaverit, illum jurium Candidatis annumerare & ad reliqua Doctorandorum ſpecimina admittere. Diſtulit ea ab iſto

isto tempore, interim praxi juridicæ sese applicuit, tandem Ordini Senatorio speciatim Collegio, quod caussas controversas, quæ circa ædificia & modum ædificandi in civitate obveniunt, nuperrimè fuit adscriptus. Nunc verò ad edenda specimina reliqua se accinxit, proindè die 29. Maji lectionem cursoriam ad *L. 1. C. de SS. Eccles.* habebit, & hac finita rubricatam dissertationem inauguralem publice eruditorum censuræ subjiciet. Ad quos actus solennes Magnificus Dn. Universitatis Rector, reliquique Proceres ac cives Academici, nec non litterarum Patroni, ut frequentes interesse velint, perhumaniter invitantur, rogantur. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. die 28. Maji 1752.

L. S.

BIBLIOTH. REG. SOLENT. UNIVERSIT. HOHENLOICAE